

bona feodalia huiusmodi, quae a praefata ecclesia dependentia obtinent, irrequisito domino vendere distrahere et alienare non verentur, quidam etiam ex vobis civibus et opidanis certas decimas in obventionibus theloneorum, quas antea nobiles ab eadem ecclesia in feodum tenuerunt et habere tenentur, sibi ipsis indebite usurparunt et occuparunt, immo usurpatas detinent et occupant de praesenti absque et praeter dictorum episcopi et ecclesiae voluntatem in sui et dictae ecclesiae iuris enervationem et praecudicium valde grave, super quibus dictus episcopus per nostram celsitudinem sibi de oportuno provideri remedio humiliter supplicavit. Unde cum inter cunctas reipublicae curas, quibus se nostra imperialis serenitas pro suorum quiete fidelium dignatur exponere, illa sit nobis cura praecipua, qualiter venerandas ecclesias et ecclesiasticas personas in suis libertatibus depressas relevemus utiliter relevatasque servemus intactas et servatas magnificentiae nostrae gratiis decoremus, idcirco et ne dicta Misnensis ecclesia, quae nostrum et imperii existit membrum singulare, in suis iuribus libertatibus proprietatibus et feodis, quibus a divis Romanorum imperatoribus et regibus praedecessoribus nostris carissimis decorata extitit et dotata, enervetur totaliter et tandem nedum in suam sed et in nostram et dicti imperii iacturam enervata depereat, sed potius sub nostrae defensionis et praesidii umbraculo reviviscat suaviter et respiret, vobis omnibus supradictis in genere et singulis in specie, qui praesentibus requisiti fueritis seu fuerint requisiti, auctoritate nostra caesarea tenore praesentium mandamus firmiter et districte, quatenus vos et vestrum quilibet omnia et singula bona quibuscumque etiam specialibus vocabulis expressentur, ubicumque et in quocumque consistentia, quae ab antiquo et de iure a praedicta ecclesia dependebant et dependent in feodum, et vos seu alter vestrum possidetis seu possidet iuxta et secundum [tenorem] librorum et registorum antiquorum feodaliū eiusdem ecclesiae, quibus in partibus ipsis fides integra consuevit antiquitus adhiberi, a praefato Johanne et suis successoribus Misnensibus episcopis cum designatione specifica nominum bonorum huiusmodi postuletis et quilibet vestrum postulet vobis in feodum assignari, infeodationem quoque et investituram huiusmodi feodorum ab eisdem solempniter capiat et alter vestrum capiat sibi fidelitatis homagium et servitia debita praestando nunc et perpetuo quotiens fuerit oportunum. Nec etiam feoda huiusmodi, quae possidetis modo seu possidebitis a dicta ecclesia in futurum, absque episcopi Misnensis pro tempore expresso consensu distrahat alienetis seu dividatis nec alter vestrum distrahat alienet aut dividat quovismodo; decimas quoque de obventionibus theloneorum vos qui ad hoc tenemini eidem episcopo pro tempore reddatis integraliter et solvatis, aliaque erga dictum episcopum dominum vestrum et eius ecclesiam faciatis et expleatis ac quisque vestrum faciat et expleat, ad quae vos tamquam vasalli eiusdem ecclesiae ipsi episcopo domino vestro tenemini et quilibet vestrum tenetur quomodolibet consuetudine et de iure, aliter non facturi, prout nostram et imperii sacri indignationem gravissimam ac ultra poenas iuris in contrafacientes inflictas viginti marcharum auri puri poenam, pro medietate nostro imperiali fisco et pro alia parte episcopo pro tempore seu ipsi ecclesiae Misnensi irremissibiliter persolvendam, quam vos et vestrum quemlibet, qui in praemissis reperti fueritis contrarii seu rebelles totiens quotiens incurrere volumus, cupitis et quisque vestrum cupiat evitare, prae-